


Hippolytus Wesel a Bartholomaeus Rheinesius

Centuria Positionum De Processu Iudiciario Civili

Rostochii: Literis Reusnerianis, 1608

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728668963>

Druck Freier  Zugang



RU jurist. 4. Mai 1608

Wesell, Hipp.

11 443
CENTVRIA POSITIONVM.
DE
PROCES-
SV IVDICIA-
RIO CIVILI,

Quam

DEO DVCE ET AVSPICE

*Auroritate & permissu Amplissimi & Nobilissimi Ictorum
ordinis, in illustri & florentissima Rosarum
Academia*

Sub Præsidio

Clarissimi & Consultrissimi viri,

Dn. HIPPOLTTI à WESELL. I. V. D.

publico examini subijcitur

BARTHOLOMÆVS RHEINESIVS
Perleb, Marchiacus.

*Ad diem ult. Aprilis in Auditorio magno
hora sexta matutina.*

I. D. 296. 19.




ROSTOCHII
Literis Reusnerianis, Anno 1608.

DE
PROCES

PROCES
SISTEMAS
RIO CIVIL

PROCES
SISTEMAS
RIO CIVIL



PROCES
SISTEMAS
RIO CIVIL



ROSTOCK
Literis Rostocensibus Anno 1808



CENTVRIA POSITIONVM.

DE PROCESSV JVDI-
CIARIO CIVILI.

I.



Vm palam sit, reliquas omnes nostri juris partes, ad iudicia, quorum vigor in medio constitutus est, ne quisquam sibiipsum permittere valeat ultionem, tanquam scopum referri, atq; per ea uniuscujusq; jus, verum an falsum, æquum an iniquum sit (veluti aurum lapide Lydio) probari, animus est, eorum ordinem & processum, quo ad ejus fieri poterit, in presentiarum proponere.

2. Iudicium est legitima rei controversæ apud iudicem inter litigantes disceptatio.

3. Divisionibus iudiciorum varijs, à causa, fine vel effectu deductis, hæc omisissis, eas posuisse sufficiat, quæ nostro potissimum proposito inserviunt, à materia scilicet & forma desumpeas.

4. A materia dividitur iudicium in Civile, & Criminale.

5. A forma, in Summarium vel Extraordinarium, & plenarium vel Ordinarium. De processu Civili ordinario potissimum nostra hodierna erit disputatio.

6. In Processu Civili ordinario duo consideranda sunt: Instantia & Executio.

7. Instantia duplex est: Prima & Secunda: In prima constituuntur termini judiciales & sententia. In secunda Appellatio.

8. Termini judiciales ordinis & docendi gratia possunt constitui decem; 1. Aditio iudicis competentis seu Citatio.

A 2

2. Aditio

2. Aditio iudicij seu Libelli oblatio. 3. Dilationes. 4. Exceptiones. 5. Satisfactio. 6. Litis contestatio. 7. Furamentum calumniae. 8. Positiones & repositiones seu defensionales. 9. Probationes. 10. Conclusio in causa ante sententiam. horum priores tres sunt preparatorij, quartus dilatorius, reliqui accepti iudicij dicuntur.

9. Hinc dubitatur an iudicium à citatione, an verò à litis contestatione incipiat? nos lata impropriaq; significatione iudicium à citatione ordiri dicimus, intuitu scilicet non principalis negocij, sed eorum, quae ipsius discussionis preparatoria vocantur.

TERMINUS I. CITATIO.

10. Citatio est actus, quo is, quem iudicio sisti opus est, & omnis cuius interest, mandato iudicis, in iudicium vocatur, iuris experiundi causa, qua deficiente processus redditur nullus, adeò ut nec à Pontifice nec ab Imperatore d. plenitudine potestatis amitti possit.

11. Ejus species alij plures, alij pauciores ponunt, nos hisce duabus, ut potioribus contenti, verbali, quae & ad domum vel per dictum nonnunquam fit, & Reali.

12. Si citandus plures ades vel habitationes habeat, ad quamnam citationis executio facienda, non convenit inter Dd. nos subscribimus de eo loco asserentibus, ubi tempore citationis agit absens, si hoc certum sit; sin minus, ubi majori anni parte agit & verisimiliter ad ipsius noticiam pervenire potest citatio.

13. An autem à citatione reali vel captura processus inchoari possit? Et siquidem fugae periculum imminuerit, quin possit non dubito: imò tunc propria autoritate fugitivum capere licet, si iudicis copia haberi non possit.

14. At

14. *At in alieno territorio aliquem sive realiter sive verbaliter citare jure civili non licet, persecutionem tamen delinquentis in uno territorio ceptam, in alieno territorio continuari posse arbitramur.*

15. *Nec invitus quis regulariter ex domo sua vel etiam conducta extrahi potest, nisi suspectus sit de fuga, quam secure adhuc inter Musas dormientem noliri non est verosimile.*

16. *Emissa citatione statim occurrunt exceptiones tam dilatorie quam declinatorie, ut Exceptio incompetentie fori, preventionis, Recusationis judicis suspecti, Loci non tuti, Temporis angusti, & Feriarum.*

17. *An autem judex ordinarius ut suspectus recusari possit dubie questionis est? de jure Canonico affirmamus.*

18. *Exceptio incompetentie, si citatus non comparuerit, a contumacia eundem excusat si notoria fuerit, in dubio autem comparere & incompetentiam allegare tenetur.*

19. *Idem etiam obtinet in ferijs, quibus judicium agitarum ipso jure est nullum.*

20. *Contra citationem realem competit etiam exceptio, si satisfactio pro relaxando vel revocando arresto vel custodia offeratur, qua si non recipiatur utitur appellationis beneficio.*

21. *Citatione legitime expedita, si reus proterve non compareat, in contumaciam ejus proceditur, & vel ad pœnam banni, vel ad immisionem in bona ex primo vel secundo decreto contra eum ab actore agitur. Actor vero si contumax fuerit, terminus circumducitur & reus a citatione & instantia liberatur, & actor in expensas condemnatur, vel si reus in se onus probandi recipere velit, ad definitivam usq. procedere potest.*

SECUNDVS TERMINVS LIBELLVS.

A 2

22. Reo

22. Reo comparente actor libellum judici & per hunc adversario exhibet.

23. Libellus est scriptura, continens nomen judicis, actoris & rei, rem qua peritur & causam petitionis (seu medium concludendi) eamque proximam in personam agatur, remotam vero siue communem si in rem actio sit sufficere dicimus.

24. An libellus sit de substantia judicii dubium est? De ordinario judicio asserimus, de summario non item, adeo ut partes ei renunciare non possint, in casibus & causis ubi requiritur, nec interest judicium sit ne civile an criminale, nisi iudex per inquisitionem procedat, iudex ordinarius an delegatus.

25. Sed litigatores quandoque pacisci possunt, ne sibi invicem libellum edere cogantur quod tamen de tertio, iudice scilicet, negamus.

26. Mutationem libelli actori non concedimus, nisi ante litis contestationem, aliter tamen si actor probabiliter errasset, quo casu actor reo expensis quas ex ea causa frustra fecit, refundat.

27. Plures etiam actiones, ut & petitorium & possessorium in uno libello, in eodem judicio contra eundem reum recte proponuntur, cum hoc sit de genere permissorum, nec expresse reperiat in jure prohibitum, usque ad abbreviandas lites utiliter utimur, nisi sententia lata in prima actione pariat exceptionem rei judicatae in alia, vel nisi electione tollantur, aut contrarietatem quandam inducant.

28. An autem libelli copia expensis actoris an vero rei dari debeat, vulgo controversitur? Nos cujusque judicii morem & consuetudinem attendi debere putamus, qui prior in multis contra actorem videtur, & licet nulla sit consuetudo, actoris tamen sumptibus copiam dandam esse verius putamus.

29. Actionis nomen hodie in libello exprimendum non est.

est: sufficit enim libellum habere aptam rei & proposito negotio convenientem narrationem, quæ futura litis speciem demonstrare possit.

TERTIUS TERMINUS. DILATIO.

30. Quando reus in iudicio comparet, & sibi deliberatione aliqua, an contendere an verò liti cedere velit, opus esse, videt, dilationem intra quam se in causa informare possit, petit.

31. Hinc dilatio est tempus à iudice parti vel ad agendum vel ad excipiendum replicandumq, probandum reprobandumq & alios iudicii terminos datum & præfixum.

32. Probatoria dilatio cum de jure communi sit peremptoria, eaq, semel saltem dari soleat, ideoq, unicam saltem dilationem regulariter concedi debere statuimus: secundam & tertiam, si justum subsit impedimentum vel novum quid supervenerit; quartam ex urgenti & justissima causa præstato à petentis malitiæ vel calumniæ juramento, impetrandam esse permittimus, quam ex iisdem causis etiam ad quintam cum juris solennitatibus prorogari posse statuunt nonnulli.

33. Si citationi inserta sit libelli copia, ex qua reus de causa & lite futura satis instrui & institui possit, an iudex ei dilationem ad deliberandum postea denegare possit, non convenit inter omnes: Nos, cum semel certus amplius certiorari non debeat, affirmativam tuebimur.

34. Tempora dilationum à certa lege expressa à iudice non temerè sed æquo & bono consilio constringi & prorogari possunt.

QUARTUS TERMINUS. EXCEPTIO.

35. Dilationibus elapsis, reus ut actori respondeat, tenetur, idq, plerumq, sic primum excipiendo.

26. Ex-

36. Exceptio est defensio ex justa & legitima causa competens, adversus id quod ab adversario intenditur.

37. Harum alie temporales & dilatorie sunt, qua iudicium differunt, alie perpetue & peremptorie, qua semper obstant & perimunt, alij etiam anomalas addunt.

38. Dilatoriarum tria sunt genera: quedam enim iudicium respiciunt, quedam ad personas litigantium referuntur, quedam causam ipsam complectuntur.

39. Peremptoriarum alie ab initio existunt, eaq; vel ex re & eo quod actum est, vel personis litigantium, alie postea superveniunt. quod indigitasse sufficiat ex Lang. rr. d. except. per tot. ne nostra disputatio in longum commentarium excreseat.

40. Dilatorie & temporales regulariter ante litem contestatam opponi & probari debent, quibus omisis reus post iudicium renunciasse videtur, & punitur advocatus, post litem contest. eas opponens, nisi habeat gravamen successivum & non momentaneum.

41. Peremptorie tam ante quam post lit. cont. quando cunq; usq; ad conclusionem cause opponuntur, plerumq; tamen cum altiore indagine requirant, post lit. cont. servari solent.

42. Post sententiam exceptiones opponi posse specialiter in eis concedimus, qua non in totum enervant sententiam, sed illam modificant, alias tam d. peremptorias quam dilatorias negamus.

43. Quando veri exceptio divisionis & excussionis opponi debeat acriter controversatur? Nos divisionis exceptionem usq; ad sententiam, excussionis etiam post opponi posse defendemus.

44. Pluribus exceptionibus uti reo permissum est, licet ea diverse sint, quod tamen Dd. ad contrarias etiam extendunt, modo sint compatibles.

45. Ju

45. *Judex ut suspectus recusatus, de causa sua recusationis cognoscere non potest, cum exceptio illum afficiat & inhabilem reddat.*

46. *Quemadmodum autem reo adversus iniquos insultus actoris exceptiones competunt, ita vicissim actori adversus rei exceptiones replicationes, & contra has duplicationes & sic deinceps conceduntur.*

TERMINVS QVINTVS. SATISDATIO.

47. *Quando reus nullam habet exceptionem, qua declinee vel differat judicium, tunc juris est quod idoneam cautionem vel satisfactionem sufficientem in vicem praestent litigantes.*

48. *Satisfactio est cautio, qua aliquem datis fidejussoribus, qui facultatibus & conveniendi facilitate sunt idonei, de lite securum facimus, & quidem cum cum is à quo exigitur, bona immobilia non possidet.*

49. *Ex parte actoris de jure novo, quemadmodum etiam de consuetudine & stylo curiarum, si extraneus, satisfatur de observatione judicij & lite prosequenda ad finem, de expensis & damno litis in casum succumbentiae.*

50. *Procurator actoris, siquidem in judicio constitutus est, vel de mandato certo constet, non caverit: secus si dubium sit. si mandatum omnino non habeat, tum ne quidem cum cautione admittitur invito adversario, nisi pro conjuncta persona.*

51. *Reus ipsemet in judicio comparens hodie saltem de judicio sibi caverit, nisi possideat bona immobilia. Ejus procurator, judicatum solvi, dato idoneo fidejussore, praestabit, nisi principalis in mandato obligasset omnia sua bona.*

52. *Satisfactionem per pignora fieri posse in iis casibus concedimus, quibus exiguntur, à quo alias satisfactionem praeor exigit, ille non pignora sed fidejussorem dare tenetur.*

B.

53. *Quem*

53. Quem etiam in causis criminalibus admittimus, scilicet cum crimen non est grave nec corporali pœna dignum, sed actio saltem ad pœnam pecuniariam tendit, nec enim conjiciendus est in vincula, qui paratus est dare fidejussores, nec diutius in custodia detinendus, nec durioribus vinculis propositis ad respondendum in sui præjudicium compellendus.

TERMINVS SEXTVS. LITIS CONTESTATIO.

54. Exceptionibus à reo non oppositis, ad actoris intentionem respondere, litemq; contestari tenetur, & est hic terminus basis & fundamentum judicii, quò omisso, ipso jure processus annihilatur, nec ei per partes renunciari potest.

55. Litis contestatio est de re controversa utriusq; litigatoris apud judicem testatò facta narratio, affirmationem seu petitionem unius, & responsionem seu contradictionem alterius litigatoris continens.

56. Hanc pragmatici distinguunt in affirmativam & negativam, affirmativam tam à parte rei quam actoris, negativam vero rei solum ponentes. Nos affirmativam litis contestationem non agnoscimus.

57. Negativam, quando actoris intentio per contradictionem rei negatur, dividimus in generalem sive implicitam, & specialem sive explicitam; hæc cum speciatim ad actionis causam & petitionem respondet reus: Illa quando ad omnia simul in genere respondetur, & narrata prout narrantur, negantur.

58. An autem verbum credulitatis, Non credo, lis contestata videatur? Negant alii, alii affirmant. Obrecho assensimus, si reus conveniatur de proprio & respondeat per verbum credulitatis, litem non contestari, secus si de facto alieno.

59. Clausulam, animo litem contestandi, rectè omitti posse, nisi stylus judicii sit in contrarium, tam de jure civili quàm canonico arbitramur.

60. Pro-

60. Protestationem autem illam, anima litem non contestandi, aliquem effectum habere asserimus, nisi iudex litem contestari iusserit.

TERMINVS SEPTIMVS. IURAMENT. CALUMNIAE.

61. Lite jam contestata actor & reus de calumnia evitanda jurare solent.

62. Juramentum calumniae est religiosa litigatorum asseveratio, qua astruunt se non calumniandi animo, sed juris sui opinione & fiducia fretos agere vel alteri resistere, est q̄ de substantia iudicii, si exactum non praestetur, ut sententiam reddat nullam.

63. Idq̄ ex frequentiori Dd. divisione vel Generale, quod ab initio litis contestatae de tota causa praestatur, & ad omnes sequentes actus porrigitur: vel speciale, quod in singulis iudicij partibus alijsq̄ in causis praestatur; hodie generale sufficit in initio litis.

64. Actor quidem jurat de bona causa: Reus vero de bona instantia, de credulitate & conscientia, uterq̄ se differendi negotij causa probationes ab adversario minime petiturū, interrogatum vera dicturum, differendae litis causa dilationes non petiturum, nihil patrociniij causa promissum nec daturum, nisi personis quibus de jure debetur.

65. Nec omissum recte postea exigitur de jure civili, quia suo tempore petitum non fuit: ne tamen lis hoc modo nulliter procedat, iudex ad praestationem hujus juramenti certum terminum praescribit, partesq̄ ad hoc cogit.

66. An autem sibi invicem litigatores illud remittere possint dubij juris est? Negamus de jure civili tam de expressa quam tacita remissione. quamvis de jure Can. & consuetudine circa hanc & superiorem thesin aliud esse videatur.

TERMINVS 8. POSITIONES
ET DEFENSIONALES.

67. Hinc actor prius suam intentionem, deinde reus exceptionem probare debet; quod primò via omnium facilima, confessione adversarij, quæ ex propositis articulis & datis responsionibus eruitur, eaq; species usu potius & consuetudine quam ipso jure constituta & in forum introducta est.

68. Positio est brevis narratio factum continens, ad elidendum veritatem concepta, vel est pars intentionis, continens id super quo quis petit ab adversario responderi.

69. Contra positiones reus excipit, si exceptio competat, si nulla, respondet per verbum affirmat aut credit, aut, non credit, vel negat.

70. Defensionales sunt articuli seu positiones, quibus reus suam defensionem proponit, & intentionem actoris excludere nititur, ad quos similiter veritatis eruenda gratia responderi oportet.

71. Post terminum ad probandum à iudice datum positiones exhiberi posse non admittimus etiam re adhuc integra, nec tenetur tunc pars respondere, nisi æquitas moræ purgationem admittat, quando jus adversarij non sit deterius.

72. Positionibus non respondens pro confesso habetur, ita ut condemnari possit, si causa qualitas hoc exigat; secus si se aliqua ratione excusare possit: ficta enim confessio per contumaciam non respondentis inducta, probationem in contrarium admittit.

TERMINVS IX. PROBATIO.

73. Contingit plerumq; nonnullas adversarij positiones à respondente negari, negatasq; ab actore probari, ideoq; terminum de probationibus priori subnectimus.

74. Probatio est rei dubie legitimis argumentis (id est, rationi-

rationibus) facta ostensio: eaq; vel artificialis vel inartificialis, hæc extrinsecus assumpta, illa ex ipsa causa per advocati solertiam deprompta.

75. Alia divisio est ab effectu, in plenam, quæ plenariè judici fidem facit de re aliqua, eaq; sit vel per duos testes, per instrumenta, iurjurandum, rei evidentiam &c: & semiplenam, quæ imperfectè concludit, sitq; per unum testem omni exceptione majorem, privatim instrumentum, comparationem literarum, confessionem extrajudicialem, rationes, famam &c.

76. An vero semiplenæ probationes etiam diversi generis conjungi possint ad plenam probationem, non usq; adeo expeditum est? Nos regulariter conjungi posse verius existimamus.

77. Confessio propriè loquendo non est probationis species, sed saltem probationis relevatio, non enim locus est probationi, nisi in defectum confessionis partis.

78. Notorium quantumvis sit facti continui, non indistinctè à probatione liberum putamus.

79. Sequuntur jam articuli probatorij, interrogatoria, juramentum, Examen & Depositiō testium, publicatio attestationum, exceptio contra testes, sed de his lubens supersedeo.

TERMINVS X. CONCLUSIO IN CAUSA.

80. Probatione, confirmatione ac refutatione hinc inde testibus, instrumentis, alijsq; probationum generibus facta, iudex ex officio mercenario litigatores interrogat, nunquid aliud habeant quod ad intentionis suæ confirmationem in medium adducant, quod si se habere negent, ulterioribus allegationibus renunciare atq; in causa concludere coguntur.

81. Conclusio causæ est omnium juris & facti allegationum renunciatio, totiusq; causæ ad definiendum submissio, quæ renunciatio ad acta referenda: conclusum enim in causa non presumitur, nisi id ex actis appareat.

82. Nec post conclusionem aliqua admittitur exceptio, allegatio, informatio vel probatio facti, nisi evidens ratio iudicem moveat, vel de novo instrumenta essent reperta. allegationibus autem juris nunquam censetur via præclusa.

83. Conclusionem in causa de substantia iudicij esse negant vulgò Dd. eamq; potius ex quadam consuetudine servari & omissam processum non vitari.

84. An autem iudex ex officio etiam post conclusionem causæ iuramentum necessarium deferre possit, controversitur? Nos affirmativam verioreni censemus.

SEQUITUR SENTENTIA.

85. Sententia est rei controversæ in iudicio ritè facta decisio, quæ est vel interlocutoria vel definitiva.

86. Interlocutoria est quæ fertur inter principium & finem causæ, super quocunq; incidenti vel emergenti articulo, separatim, nisi cum decisione principalis sit conjuncta, quæ tamen etiam locum habet post sententiam, ut in executione, transitq; in rem iudicatam, nisi intra decennium ab ea provocetur.

87. Definitiva est actus judicialis, controversiæ finem imponens, continens absolutionem vel condemnationem, ad quam audiendam partes citandæ sunt, inter absentes enim iudicatum non valet, nisi pars sit contumaciter absens.

88. Ea, ex scriptis recitanda est, adeo, ut si sententia prius scripta non fuisset, quam proferretur, ipso jure non valeret nisi causa sint leves, quo casu etiam de expresso partium consensu omitti potest scriptura.

89. Sententiam latam iudex non potest rescindere, nisi sit interlocutoria.

90. Victus porro victori condemnatur in expensis judicialibus si sc. eæ petitiæ fuerint; si tamen non petitiæ nihilominus iudicem condemnare posse verius putamus, nisi forte victus justam & probabilem causam litigandi habuerit, dum Dd. auctoritatibus vel regula quadam juris pro se usus fuit.

S.E.

SECUNDA INSTANTIA.

APPELLATIO.

91. Ne autem sententiæ definitiva, per iudicium imperiti-
am aut probationum inopiam male latæ, per 10. dierum lapsum
in rem iudicatam transeant, appellationis remedium utroq; jure
est introductum, quod adeo favorabile, ut nec imperatorio Re-
scripto continente clausulâ, remota appellatione, indistinctè
& simpliciter remotum censeatur, secundum veriore[m] & magis
communem.

92. Appellatio est ab inferiore iudice ad superiorem pro-
vocatio, quæ si est legitima, jurisdictionem iudicis quoad illam
causam suspendit, & ipsius cognitionem ad superiorem devolvit,
eag; vel judicialis, quæ à sententijs interponitur; vel Extra
judicialis.

93. Extrajudicialis quæ ab actibus & decretis extraju-
dicialibus, vel à præsentis & à verisimiliter futuro & instanti
gravamine interponitur ad superiorem.

94. Appellatio in quibuscumq; causis permittitur: In causa
tamen ubi quis est confessus & in possessorijs, nisi damnum ir-
reparabile contineat, regulariter non appellatur.

95. Interposita appellatio iudici ad quem præsentanda est,
deq; ea iudex à quo propter inhibitionem certiorandus.

96. Eamq; infra annum, vel interveniente justa & legiti-
ma causa infra biennium prosequi tenetur.

97. Quod si postea sententia propter defectum appellationis
in rem iudicatam transierit, rectè ad executionem pro-
ceditur.

EXECUTIO.

98. Finis processus judiciarij est executio, id est rei iudi-
cata persecutio ac perfectio, quæ fit vel implorato iudicis officio
profacienda executione, vel actione in factum, vel iudicati in-
centata.

Restituo.

99. *Restitutionem in integrum executionem impedire asserimus.*

100. *Executio contra possessorem rei litigiosa an absq; novo processu fieri possit? Quod singulariter in hoc casu concedimus, alias in executione sententiae secus.*

Coronides & Parerga.

1. An iudex secundum acta & probata, vel secundum propriam conscientiam judicare debeat? Et frequentius obtinuit, ex iis quæ legitime probantur, iudicem judicare debere.

2. Diximus in primo termino, an citatio verbalis extra territorium fieri possit, quod adeo dubium est ut Ias. Mediolan. & alij putent id Cæsarea indigere decisione: Verùm illud quod huic vicinum est, non erat omittendum, an saltem Edictali citatione delinquens, & jam evagatus & alibi existens citari possit, in territorio ubi bona sunt, vel alias ratione delicti conveniri possit: Id enim æquè dubium nobis fecit. Clem. pastoralis. de re jud. Nos rejecto illo rescripto horum sententiam tuendam ducimus, qui per edictum citationem fieri posse autumant.

3. Appellatio statuto tolli non potest.


4. Illum qui prae cario rem accepit possidere, dantem non possidere arbitramur. Quod & de creditore pignoris possessionem accipiente affirmamus.

5. Matrem per expressam pupillarem à legitima excludi non posse, Filiam verò propter dotem alteri filiae priori datam, non solum à dote sed etiam à legitima excludi posse putamus.

6. Legatum, vel fideicommissum, mortis causa, etiam rectè relinqui posse, etsi tantum adhibeantur duo testes; imò etiam si adhibeatur nullus.

7. An ex testamento imperfecto & minus solenni voluntas testatoris sit servanda ab hæredibus, de jure naturali. Inspecto jure & æquitate naturali affirm. non adeo dubia videtur; sed inspecto jure civili & propter effectus obligationi naturali de jure civili attributos, magis est dubium. Tenta-

bimus exercitij gratia nihilominus affirmativam defendere.





SECUNDA INSTANT APPELLATIO.

91. Ne autem sententiæ definitiva, per iuram aut probationum inopiam malè lata, per iorem in rem iudicatam transeant, appellationis remedium est introductum, quòd adeo favorabile, ut nec scripto continente clausulã, remota appellatio & simpliciter remotum censeatur secundum veterem communem.

92. Appellatio est ab inferiore iudice ad iudicem vocari, quæ si est legitima, jurisdictionem iudicis causam suspendit, & ipsius cognitionem ad superiorem eam vel iudicalem, quæ à sententijs interponitur iudicialis.

93. Extrajudicialis quæ ab actibus & de iudicialibus, vel à presenti & à verisimiliter futuram gravamine interponitur ad superiorem.

94. Appellatio in quibuscumque causis permissa tamen ubi quis est confessus & in possessorijs, non reparabile contineat, regulariter non appellatur.


95. Interposita appellatio iudici ad quem permissa, ea iudex à quo propter inhibitionem certioratur.

96. Eamque infra annum, vel interveniente maiore causa infra biennium prosequi tenetur.

97. Quod si postea sententia propter defectum in rem iudicatam transierit, rectè ad executionem proceditur.

EXECUTIO.

98. Finis processus iudicarij est executio, quæ est persecutio ac perfectio, quæ fit vel implorata, profacienda executione, vel actione in factum, tentata.



the scale towards document